

Petrus de Vinea

*Ep. V 54 (Pro parte O. et
B., nostrorum fidelium...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 54 (Pro parte O. et
B., nostrorum fidelium...)*

1242?

Eidem, ut citetur ad curiam, qui iniuste castrum occupauit aliorum.

1. Pro parte O. et B., nostrorum fidelium, nostro fuit culmini nuper oblata querela, quod cum ipsi ab A., fratre eorum, qui nuper decessit, et cui de iure succedunt immediate, castrum de... per longa tempora tenuissent et possedissent pacifice et quiete, S. de..., P. et F. de..., fideles nostri, fracta pace et securitate nostra, castrum ipsum hostiliter obsidentes, illud ceperunt et ad presens detinent, in ipsorum fratrum manifestum preiudicium occupatum. 2. Quod quidem castrum usque ad diem captionis ipsius, sicut pro parte ipsorum fratrum expositum extitit, coram nobis prefati conquerentes, sine contentione aliqua possederunt. 3. Cum igitur idem fratres uelint memoratos S., P. et F. de predictis in magna nostra curia conuenire, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus S., P. et F. ex parte celsitudinis nostrae sub peremptorio termino citare procures: ut decimo die post citationem tuam in magna nostra curia debeant comparere, memoratis conquerentibus super predictis in iudicio responsuri; eundem terminum conquerentibus ipsis, ut causam prosecuturi predictam contra eos compareant, prefixurus. 4. Necnon et diem citationis tuae, formam presentium, et coram quibus eos citaueris, tuis litteris tuo sigillo munitis, nostrae curiae rescripturus.